



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

14. An quando Praelati praecipunt sibi denunciari delicta subditorum absq[ue] communicatione cum aliqua persona, censeantur vetare communicationem cum Confessario, aut alio viro docto? An & quando ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

14. Ratio Conclusionis nostræ est, quia hæc denunciatio non tam ad punitionem delinquentis, quàm ad præcavendum damnum, quod intendit inferre, ordinatur. Ergo non est curandum, quod ipse delinquens infametur vel denunciatione affligatur, hæc enim per accidens sequuntur, quod enim primò intenditur est defensio innocentis vel boni communis. Neque obstat delictum probari non posse, ut sciens denunciare non teneatur, quia non denunciat, ut probet delictum, sed ut damnum impediatur, quod per denunciationem impeditur, & licet sufficienter non impediretur, nihilominus debet denunciare, quia per denunciationem aperis viam Judici, ut inquireat, & quærat media impediendi, ut optimè notavit *Thom. Sanch: lib. 3. de matr. D. 18. n. 2.* Neque Doctores supra relatos sentio nobis dissentire, non enim credibile est illos velle non esse denunciandum delinquentem, qui civitatem parat incendere, si aliâ viâ non suppetat impediendi damnum præter denunciationem judicialem. Effet enim iniquum non favere bono communi ob de-

linquentis detrimentum. Quare debent intelligi de denunciatione ad punitio- nem, non de denuntiatione ad præcaven- dum malum impendens requisita.

15. Solùm advertimus, quando Prælati seu inquisitores mandant denunciatio- nem sibi fieri de iis & aliis delictis absque eo, quod cum aliquo communices, hoc intelligendum esse de delictis, quæ tibi certò constant in edictis contineri, quæq; tibi denunciari mandantur. Nam si dubi- tas, an peccata, quæ scis sint contenta in edictis vel non, poteris sine scrupulo con- fessarium consulere aut alium virum do- ctum: neq; hanc communicationem in- quisitores prohibere intendunt, ut ad- vertit *Ioan: Sanch: select: Disput: 11. num 57. cum alijs.*

16. Sed inquires quid dicendum in propriis injuriis: Respondeo rarò in his esse obligationem corripiendi secretò de- linquentem, quia rarò invenitur injuria- tus, cui grave non sit injuriantem frater- naliter corripere, & cuius correctio ab in- juriato admittatur. Potest tamen injuria- tus satisfactionem expostulare apud Judi- cem,

cem,